



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De objecto intellectus Angelici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

De perfectione naturali Angelorum. 231.

SECTIO III.

De obiecto intellectus Angelici. S. Thomas, Quæst. 54. 57.

Hactenus dixi principia cognitionis Angelicæ, nunc obiectum eius latissime patet; Constat enim quod Angelus quilibet res omnes cognoscit tum spirituales, tum materiales ordinis naturalis, alios verbi gratia Angelos & se ipsum, res etiam existentes in mundo quoad earum naturam & proprietates, sed non est tamen necesse, ut singulas cognoscat in particulari. Deinde plura sine dubio cognoscit è possibilibus tum per species à Deo infusas, tum in rebus existentibus ut in causis: res præteritas cognoscit quarum species habet à Deo inditas, vel quæ sunt ab eo cognitæ dum existerent, quæ omnia facilia videntur, neque vllâ egent probatione, restat ergo quadruplex controuersia. Primò, vtrum cognoscat res futuras. Secundò, vtrum cognoscat secreta cordium. Tertiò, vtrum cognoscat naturaliter res supernaturales. Quartò, vtrum & quomodo cognoscat naturaliter ipsum Deum.

§. I.

Vtrum Angeli cognoscant futura. S. Thomas, Quæst. 57. art. 3.

In hac controuersia celeberrima distinguendum in primis est duplex genus futurorum; aliqua enim futura pendent à causis necessarijs, cuiusmodi v. gr. est eclipsis futura, quædam pendent à causis liberis, ut quod Petrus cras sit peccaturus: futura primi generis, certum est cognosci ab Angelo, non in se ipsis, sed in suis causis, quas non potest cognoscere, quin cognoscat effectus ex illis necessariò sequuturos nisi Deus impediat, sub ea ergo conditione illos effectus cognoscit.

Tota ergo difficultas est de cognitione futurorum, quæ pendent à causa libera.

Est autem ratio dubitandi primò, quia si est possibilis aliqua creatura quæ connaturaliter cognoscat futura contingentia, æquè ac præterita, certè nulla est ratio propter quam negetur Angelis hæc cognitio, sed nulla potest afferri ratio quæ prober impossibile esse creaturam cui cognitio hæc sit debita connaturaliter, ergo nulla est ratio, cur dicatur futura non cognosci ab Angelo.

Secundò, si concreta sunt Angelis species omnes ut supra statuimus, non videtur dubium, quin Angelus cognoscat futura. Nam quotiescunque potentia instructa est omnibus prærequisitis ad cognoscendum obiectum, Angelus illud necessariò cognoscit, sed intellectus Angeli habens speciem obiecti futuri est instructus omnibus ad cognoscendum prærequisitis, ergo Angelus si habet concretas species, necessariò cognoscit futura. Maior nota est, probatur minor, si quid deesset Angelo habenti speciem futuri, esset existentia ipsius obiecti, sed existentia obiecti, non est vnum ex prærequisitis ad illud cognoscendum, alioqui non posset Angelus cognoscere possibilia, quamuis haberet eorum speciem propriam, imò nec posset cognoscere præterita, si rei existentia est necessaria conditio ad cognitionem intuitiuam, tota enim ratio cur præterita æquè cognoscantur, ac præsentia, est quia intellectus habet speciem illorum, ergo si æquè habeat speciem futuri, ac præteriti, æquè cognoscat vnum, ac aliud.

Tertiò, certum est futura etiam libera sapissime à dæmonibus prædici, ut demonstrant veterum oracula, & auguria, variæque prænotiones, quarum pleni sunt omnes libri, & tradit latissime Augustinus li-

bris de prænotione dæmonum, & sapè alibi; Tertullianus cap. 22. Apologet. Clemens Alexandrinus in protrept. Picus in opere de prænotione Sirenus l. de fato, Delrio l. 3. de Magia.

Dico primò, Angelos nullo modo posse certò cognoscere futura contingentia, imò nec possibilem esse vllam creaturam cui hæc cognitio futurorum sit connaturaliter debita. Ita supponuit vnanimiter Theologi, sed rationem vix afferunt quæ prober efficaciter impossibilitatem huius creaturæ.

Primò, autem ex scripturis ita certò colligitur Isaia 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & dicemus quia di estis vos, & iterum cap. 46. recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei, annuncians ab exordio nouissima, & ab initio quæ necdum facta sunt dicens, &c. Danielis 3. Est Deus in celo reuelans mysterium.* Ex quibus testimonijs planè inferitur quod futurorum prænotio sit certa nota Deitatis, ergo implicat ut illa communicetur vlli creaturæ. Confirmatur quia, ex tractatu de fide constat quod prophetia motiuum est credibilitatis efficacissime suadens veritatem reuelationis diuinæ, vnde fit ut religio illa certò probetur esse diuina in qua sunt prophetiæ, sed si dæmon futura prænosceret, vana esset illa nota veræ religionis, ergo certum est quod dæmon illa non prænoscit. Et eam esse omnium Patrum mentem fusè ostendit Suarez l. 2. c. 9. vbi citat Chrysost. Origen. Hieron. Cyrill. Iustinum Euseb. Damasc.

Secundò, tamen ratio quæ id prober videtur difficilis: non enim primò illi placent qui probant ex eo quod Deus non concurrat cum speciebus quas infundit, vel certè quod species eorum non produxerit; hæc enim ratio petita solum ex Dei voluntate probat Angelos non habere hanc cognitionem, sed non ostendit cognitionem illam futurorum, & species esse non posse debitas Angelo, aut vlli creaturæ, cur enim nulla creatura erit possibilis cui debita sint hæc species. Neque secundò probari potest ratio Granadi quia, inquit, non potest Angelus cognoscere futura libera impedienda non esse à suis causis: Nam hoc est petere principium, quia non impeditur actum à sua causa, est effectum produci à sua causa. Caietanus etiam non videtur rectè argumentari, quia (inquit) cognitio fit per assimilationem, quæ cum sit relatio exigit terminum actuale: sed hinc sequeretur cognosci non posse possibilia, & præterita. Denique Scoti ratio non probat intentum, quia, inquit, species ab obiectis accipit Angelus, quas accipere non potest à re futura; sed cum certum sit multa possibilia cognosci ab Angelo, quæro cur debita possint esse species possibilem magis quàm futurorum.

Melior itaque videtur esse ratio S. Thomæ, quam etiam meritò approbat Suarez c. 10. quia nulla creatura connaturaliter potest cognoscere obiectum aliquod in se ipso præcisè, quia illud est cognoscibile, quia eo modo cognoscere obiectum, est habere cognitionem infinitam, eternam, & immutabilem, cui debetur cognitio cuiuslibet cognoscibilis, sed qui connaturaliter cognoscit futura, cognoscit obiecta præcisè quia sunt cognoscibilia, ergo nullus intellectus creat potest cognoscere futura connaturaliter. Maior clara est, ut dixi, prob. minor, ille intellectus cognoscit obiectum præcisè quia est cognoscibile qui cognoscit futurum in se ipso præcisè quia est futurum, sed qui cognoscit futurum connaturaliter cognoscit illud præcisè, in se ipso quia est futurum, ergo cognoscit illud præcisè, quia est cognoscibile, quod solius intellectus infiniti proprium est. Maior pater ex dictis de scientia Dei vbi constat Deum cognoscere futura in se ipsis, quia debet cognoscere omne cognoscibile, ex eo præcisè quia est cognoscibile, nam cognoscere rem futuram

Conclusio.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Ratio sancti Thomæ.

Triplex dubitatio.

in se ipsa, est cognoscere illam quia futura est, seu quia cognoscibilis est, minor ergo probatur, quia intellectus Angelicus non potest cognoscere futura nisi cognoscat illa vel in causis liberis præcisè sumptis, vel in ipsis futuris: non potest illa cognoscere in causis liberis, quia illæ sunt omnino indifferentes, neque magis ostendunt effectum futurum, quam non futurum, cum ad utrumque sint æqualiter indeterminatæ, imò eam ob causam Deus non potest cognoscere illos effectus in causis liberis, vt demonstrabam alias, ergo sequitur vt Angelus illos effectus futuros cognoscat solum in se ipsis, quod ostensum est esse impossibile.

Confirmatur, quia non potest Angelus cognoscere actus secretos causæ liberæ, tunc quando illi existunt, vt probabo statim, ergo non potest etiam illos cognoscere antequam sint. Sed si cognosceret futura libera cognosceret etiam secreta cordis, ergo Angelus non potest cognoscere futura libera. Neque dicas hinc sequi quod Angelus potest cognoscere actus liberos sue voluntatis futuros cum cognoscat illos præsentis. Sed cõtra, si enim Angelus cognosceret futura libera sue voluntatis, cognosceret etiam multos actus voluntatis alienæ, nam illi sæpè magnam habent connectionem, & vnus est obiectum alterius. Ex quibus factis omnino liquet responsio ad primam.

Solutio
secundæ
dubitatio-
nis.

Ad secundam autem tota difficultas restat, quomodo Angelus possit habere species concreatas, atque adeò totum quod ad cognitionem futuri necessarium est, & tamen non possit illud cognoscere, quid enim deest Angelo habenti potentiam & species quominus cognoscat futurum, æquè, ac cognosceret illud quando erit præsens non enim satisfaciunt plures Theologi qui aiunt species modificari à Deo, tunc quando existit obiectum, vnde fiat vt obiectum quod prius cognoscebatur vt possibile cognoscatur vt futurum. Verum hæc modificatio est productio nouæ speciei, nam ille modus nouam efficit cognitionem, ergo est noua species, deinde tam requiritur species representans futurum distincta à specie quæ representabat possibile, quam requiritur species representans præteritum, præter speciem quæ representat futurum, sed species representans rem præteritam, distinguitur à specie quæ representat futuram, ergo species quæ representat rem futuram distinguitur à specie quæ representat possibilem.

Verius ergo dici posse videtur sæpissimè contingere vt causa indigeat aliqua conditione extrinsecâ, quâ sublatâ non operabitur, vt ignis indiget approximatione, species igitur datæ Angelo huiusmodi esse possunt, vt non possint agere nisi posita existentia obiecti, quid enim impedit quo minus sint possibles huiusmodi species, quæ absente aut nondum existente obiecto non moueant potentiam, eo autem præsentem moueant, quia existentia obiecti conditio est, quâ sublatâ species non agat. Et hoc quibusdam etiam exemplis satis appositè confirmari potest. Primum sit, specierum visibilium, quas certum mihi est effundi ab obiectis etiam absente lumine, & tamen donec producat lumen species illæ non mouent potentiam, statim ac illuminatur medium, species fungitur suo munere. Quidni? ergo potuerit Deus similiter tales Angelis species infundere, quæ requirant specialiter præsentiam obiecti, eo autem non existente similes sint speciebus visuius absente lumine. Si autem huiusmodi sint, non erit difficile intelligere, quomodo Angelus non cognoscat futura, quamuis habeat species rerum quæ futuræ sunt. Alterum exemplum affert Arrubal etiam satis conforme rei quam explicamus; fides enim infusa sine vlla sui mutatione, incipit de nouo inclinare ad assensum ad quem ante non inclinabat; si enim vel de nouo reuelatur aliqua veri-

tas quæ reuelata prius non erat, vel certè incipiat sufficienter proponi: idem ille habitus qui prius non inclinabat ad illam credendam incipit ad eam inclinare per solam mutationem extrinsecam factam in obiecto. Scio aliquid afferri posse disparitatis inter habitum fidei, & speciem impressam, sed illa tamen non impedit quo minus illo etiam exemplo explicetur quomodo species pendeat ab existentia obiecti, & illud non representet quandiu futurum est quamuis nihil de nouo imprimatur Angelo. Sicut paries (A) incipit esse similis parieti (B) quamuis nulla fiat mutatio in pariete (A) sed tantum in pariete (B.)

Instabis gratis omnino fingi, quod species Angelicæ spirituales pendeant ab obiecto corporeo existente actu; tunc enim illud obiectum quando existit inciperet determinare potentiam, & in ea proderet aliquid noui. Deinde hinc sequitur quod Angelus per has species non cognoscit præterita.

Resp. nullo modo illud gratis fingi, sine quo explicari non potest quomodo Angelus non cognoscat futura. Neque verò est opus vt obiectum determi- net speciem agendo in illam, quemadmodum lumen non agit in obiectum visibile, neque in speciem ab eo productam, quæ tamen incipit mouere potentiam præsentem lumine. Fateor res præteritas non cognosci per speciem quæ representatur res futura vel existens; res enim præteritas cognoscit Angelus per species memoratiuas, quas ipse sine dubio imprimit sibi per actus suos.

Scio aliter & fortassè facilius solui posse argumentum illud, si dicas species illas esse in Angelis, sed illas non mouere potentiam quandiu res futura est, quia Deus negat illis concursum qui est indebitus Angelo, eo quod ille connaturaliter non exigit cognoscere futura. Species enim illæ non exigunt diuinum concursum, quandiu illud obiectum futurum est. In qua responsione hoc vnum videri potest difficile, quod in rebus naturalibus recursus ad causam primam non debeat admitti quoties alio modo explicari possunt.

Ad tertiam Resp. Angelos nullo modo posse certò prædicere futura libera: dicunt enim illa solum coniecturaliter videndo affectum, & inclinationem eorum quibus hæc prædicunt, cum enim sciant, se illos facillimè sæpè superare, prædicunt etiam probabiliter ea ad quæ decernunt illos mouere. Deinde respondet etiam Augustinus Deum sæpissimè in penam hominum permittere, vt Angeli boni reuelent malis Angelis ea quæ ipsi didicerunt à Deo.

Altera (o-
lurio.

Solutio
tertiæ du-
bitationis.

§. II.

Vtrum Angeli cognoscant secreta cordium.

S. Thom. Art. 4.

Hæc etiam difficultas obscurissima est, in qua video quæri posse tria. Primò, an etiam ex fide certum sit quod Angelus non cognoscit cordium secreta. Secundò, quænam sint secreta illa quæ ignota sunt Angelis. Tertio, quænam ratio naturalis probet secreta cordium ignorari ab Angelis: vtrum scilicet id ex sola petatur Dei voluntate, an verò ex naturali Angelorum impotentia.

Ratio enim dubitandi primò illa eadem est, quæ probabat futura cognosci naturaliter ab Angelo. Si enim Angelus haberet species à Deo infusas illorum secretorum certè potest illa cognoscere: certum est autem quod species illas habet, ergo potest illa cognoscere. Neque responderi potest huiusmodi esse illas species, vt non possint agere quandiu res secreta est, incipiant autem agere statim ac Angelus vult aperiri secretum suum; hoc enim fictitium omnino est, quia ille actus voluntatis alienæ non potest excitare speciem Angeli vt agat cum prius non ageret, sed neque recurrere

Prima
dubitatio

recurrere oportet ad Deum, ergo Angelus cognoscit secreta cordium.

Secunda
dubitatio.

Secundò, si Angelus non posset cognoscere illa secreta, deberet posse afferri aliqua ratio quæ ostenderet hoc obiectum esse supernaturale ac improporionatum cum intellectu Angeli, hoc autem non ostenditur, nam ratio quæ petitur solum à libertate voluntatis videtur nulla, quia si voluntas mea non esset libera ex eo quod Angelus cognosceret eius actus, certe multò minus libera erit quandoquidem Deus illos cognoscit; nulla enim ratio probat violari libertatem ex cognitione Angeli, quæ non probet illam violari ex cognitione Dei.

Tertia
dubitatio.

Tertiò, in actu illo secreto sunt tantum tria, entitas actus, libertas, & immanentia, entitas nõ superat modum essendi Angeli, nam Angelus cognoscit suos actus eiusdem planè rationis cum istis quos ignorat, vel etiam perfectiores: Libertas non est nisi denominatio extrinseca in actu, quæ non potest facere, ut ille sit improporionatus quandoquidem cognoscitur actus liber, quando voluntas manifestat secretum: idem dico de immanentia: ergo secretum cordis non est obiectum improporionatum cum intellectu Angeli.

Conclusio.

Dico secundò, esse omnino certum ex fide quod Angeli nullo modo cognoscunt secreta cordium, id est actus omnes tum voluntatis, tum intellectus, imò etiam nullum esse intellectum creabilem, à quo naturaliter illa cognosci possint.

Prima pars

Prima pars certa est apud omnes, sic enim primò, colligunt ex Scripturis ubi cognitio secretorum cordis dicitur propria esse solius Dei; 2. Paralip. cap. 6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum*: Ierem. 13. *prænum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscat illud, ego Dominus scrutans & probans renes*. Matth. 9. & 12. probat Christus suam diuinitatem ex eo quod cogitationes & voluntates secretas notas habeat. Secundò, Patres suffragantur unanimiter Chrylost. homil. 23. in Ioan. *Humanorum cordium cognitio solius Dei est qui ea formavit*. Athanas. q. 27. ad Antiochum, *præsciis rerum & cordium solus est Deus, nec enim Angeli cordis abscondita vel futura vident*. Dabunt alios plurimos Suares cap. 21. Vasq. disp. 209. ut planè constet rem competentem esse.

Secunda
pars.

Secunda pars docet nomine (secretorum) intelligi primum actus voluntatis tum liberos, tum necessarios, deinde cogitationes etiam intellectus, species & habitus, non autem actus imaginationis, & appetitus sensitui quos certum est cognosci ab Angelis cum nulla ratio euincere possit contrarium. Primò autem, quod actus voluntatis præferim liberi non cognoscantur certum est apud omnes, quia illa maxime propriè sunt secreta cordium de quibus loquuntur Scripturæ ac Patres.

Actus vo-
luntatis.

Neque audiendus est Albertinus qu. 10. ex primo principio dum ait illos etiam actus secundum suam substantiam cognosci ab Angelis, ignorari autem utrum illi elici sint liberè, quia si Angelus videt actum voluntatis in se ipso cum cognitione indifferenti, videt illum esse liberè elicitum. Non videtur etiam probabile, quod aiunt Hèricus omnes actus alienæ voluntatis notos esse Angelis præter intentionem finis: Heruæ cognosci substantiam actuum non intensionem, & remissionem; Argentina cognosci actum non determinationem voluntatis: Martinon cognosci actum, ut est absolutus, non cognosci ut est respectiuus. Quæ omnia refutatione vix indigent, cum apertè Scriptura & Patres negent cognosci actum ipsum secretum, & eadem ratio probat de omnibus actibus voluntatis etiam iis qui sunt necessarij, ut constabit etiam ex statum dicendis.

Cogitatio-
nes.

Deinde quod cogitationes etiam intellectus ignorantur ab Angelis video negari à Vasq. Hurtad. Deza, Tom. I.

sed sanè immeritò, quia Scriptura æquè reseruat soli Deo cognitionem cogitationum, ac cognitionem actuum voluntatis, 1. Paralip. c. 28. *Omnia corda scrutatur Dominus & vniuersas mentium cogitationes intelligit*. Hebr. 4. *Verbum Dei dicitur esse discretor cogitationum, & intentionum cordis*: Matth. 9. probat Christus se Deum esse: *Videns cogitationes eorum*, & dicens, *Et quid cogitatis mala, &c.* Deinde non possunt intelligi ab Angelo cogitationes, quin cognoscantur etiam actus voluntatis liberæ, quia nemo vult aliquid liberè, quin reflexè sciat consensum suum. Denique tota ratio quæ probat ignorari actus voluntatis; probat etiam ignorari cogitationes ut patebit statim, & eadem ratio probat cognosci etiam non posse species, & habitus productos per actus, quia inde actus ipsi voluntatis cognoscantur. De imaginationibus autem & de actibus appetitus sensitui nulla inter Doctores dissensio est, omnes enim fatentur illos Angelis esse notos cum nulla ratio probet contrarium. Sicut etiam certum est, quod quoties externo aliquo signo manifestatur actus internus voluntatis aut intellectus, Angelus eum necessariò intelligit, quia ille definit tunc secretus esse.

Tertia
pars de
possibili.

Tertia pars, negans intellectum creatum esse possibilem cui cognitio hæc secretorum debita sit, continet totam quæstionis huius difficultatem, est enim assignanda ratio aliqua, quæ probet efficaciter Angelum non cognoscere huiusmodi secreta, nam illa etià consequenter probabit impossibilitatem intellectus qui cognoscat illa, sed hæc ratio non facile inueniri potest.

Primò enim, ratio quam habent Suar. & Molin. videtur petere principium, quia (inquiunt) Angelus speciem non habet illorum secretorum. Sed quæritur quare Angelus non habeat illas species, si secreta cordium sunt obiecta proportionata cum intellectu ipsius Angeli, nam Angelus ut dixi concreatas habet species eorum, quæ naturalem eius captum non superant. Secundò, non satisfacit etiam Vasq. dum ait nullam huius rei rationem reddi posse, sed id reducendum esse in naturam ipsorum Angelorum. Sed hoc ut vides non est reddere rationem rei quam inuestigamus. Tertiò, alij modos habent loquendi obscurissimos, v.g. non posse cognosci actus nostros, quia sunt in profundo animæ, quia carent illuminatione, quia vniti non sunt cum potentia Angeli cognoscentis, quia soli Deo subduntur, & potentia cognoscenti, & idè illis tantum noti sunt, quia non sunt naturales, sed liberi. Hæc enim omnia non sunt nisi verba, & significant nihil. Quartò, etiam non satisfaciunt Scotus, Ochamus, Gabriel, & plures recentiores quia (inquiunt) Deus impedit ne cognoscantur ab Angelis hæc secreta. Sed quæritur ratio, quare Deus impediatur cognitionem hanc debitam Angelo, & non improporionatam cum ipso, debet enim probari hæc improporionatio.

Vera ratio

Vera ergo ratio cur Angelus, & alia quælibet creatura possibilis naturaliter non possit cognoscere secreta cordium peti non potest nisi ex natura & perfectione creatæ libertatis, & ex dominio eius in suos actus; sic enim possumus ratiocinari, perfecta libertas voluntatis exigit ut voluntas perfectum habeat dominium in omnes suos actus, adè ut sine timore, ac coactione illos eliciat: sed si secreta cordis cognoscerentur naturaliter ab aliqua creatura, voluntas coactè omnino & cum metu eliceret suos actus; est enim certum, quod sæpè cogeretur ab illis abstinere, cogeretur etià illos reprimere, mutare, vel etiam nolens elicere, ergo illa secreta naturaliter sunt improporionata cum intellectu Angelico, non quod superent eum in modo essendi, sed quod sint actus creaturæ liberæ habentis dominium perfectum in suos actus.

Accedit altera quoque ratio propter quam ignorari etiam debent actus necessarij, quia scilicet cõcordia, & pax creaturæ rationalis exigit, ut secreta sint omnes

Gg

eius

eius actus interni, si enim notæ aliis essent nostræ voluntates etiam necessariae, innumera statim odia exardescerent o ridentur contentiones, etiam si actus illi non essent nisi motus primo primi, nam etiam illos maxime cupimus aliis esse ignotos. Ratio ergo proxima, cur ignorentur secreta cordium est, quia libertas voluntatis exigit naturaliter, ut actus eius tandiu lateant, quâdiu ipsa non eos manifestat. Vnde.

Solutio
difficulta-
tum.

Ad primam idem responderi potest, quod dictum est de futuris. Primum enim dici posset, speciem secreti à Deo infusam esse talis naturæ, ut non exiger concursum diuinum, quandiu actus ille voluntatis secretus est. Imò illam exigere tanquam conditionem, ut voluntas manifestari velit hoc secretum. Nulla enim ratio probare potest, esse impossibilem speciem talis naturæ, ut non moueat potentiam nisi positâ tali conditione, quod voluntas velit suum actum manifestum esse, vel certè quæ non exiger diuinum concursum, quandiu actus ille secretus est. Secundò, valde probabiliter docet Suares Angelos non habere infusas species horum secretorum, quas accipiat, vel ab ipso Deo, vel ab obiecto spirituali, quando reuelatur secretum. Est enim verissimile, quòd obiecta spiritualia possunt imprimere sui species, sed est difficile dicere, quomodo agere possint indistans quod non videtur absurdum Suari. Sed mihi prior responsio de existentia diuini concursus videtur probabilior.

Ad secundam satis allata est ratio ex libertate voluntatis, ob quam secretum cordis nulli creaturæ potest esse proportionatum, Deo autem maxime debita est hæc cognitio, quem quia cernit omnia solus, verum possis dicere solem: est ergo impossibilis libertas cuius actus sint Deo secreti qui supremus est dominus, & debet etiam concurrere ad omnes actus creatos. Vnde nego violari libertatem creatam ex cognitione Dei, sine qua implicat actus illos elici, sicut violaretur ex cognitione creaturæ à qua non pendent essentialiter.

Ad tertiam Respon. entitatem actus secreti non esse improportionatam cum intellectu Angeli, sed illam entitatem ut liberam esse improportionatam, ut satis ostendisse videor. Fateor enim, quod libertas est solum denominatio extrinseca in actu, sed illa tamen sufficit, ut Angelus proportionem non habeat cum actu quandiu ille secretus est.

S. III.

Virum Angeli cognoscant obiecta supernaturalia.

Superna-
turale.

ENS supernaturalis propriè illud tantum est, quod est indebitum cuiuslibet subiecto creato, cuiusmodi sine dubio sunt mysteria gratiæ, quæ fide credimus, v. gr. vnio hypostatica, modus præsentia, quem in Eucharistia Christus habet. Potest autem aliquid esse supernaturalis, vel secundum substantiam, si eius entitas nulli subiecto creabili possit esse debita: vel secundum modum extrinsecum, si eius entitas naturalis sit, sed modo tamen fiat qui non sit debitus ulli subiecto, ut cum visus cæco restituitur, actio illa productiua oculi, naturalis est, sed modus tamen quo producit est prorsus indebitus & supernaturalis, quia fit sine dispositionibus præuiis.

Non est dubium, quin cognoscere possit Angelus res supernaturales secundum modum quis: enim non videat oculum restitui cæco, aut vitam mortuo: difficultas igitur est de cognitione rerum supernaturalium secundum substantiam, tum intuitiua, quæ cognoscat illa in se ipsis, tum abstractiua, quæ cognoscantur per aliquem effectum ab iis prodeunte.

Triplex
dubitatio.

Ratio verò dubitandi est primò quia, cognitio rei increatæ, ac infinitæ non est necessariò increata, & infinita; Deum enim naturaliter cognoscimus, imò

visio Dei connaturaliter elicitur ab intellectu habente lumen gloriæ, ergo cognitio rei supernaturalis non necessariò est supernaturalis, neque necesse est ut cognitio, & obiectum sint in eodem modo essendi: confirmatur quia, Angelus inferior naturaliter cognoscit Angelum superiorem, & tamen non est in eodem gradu essendi, ergo non est necesse, ut obiectum, & potentia conueniant in modo essendi.

Secundò, Angelus naturaliter potest abstractiue cognoscere obiectum supernaturale positâ reuelatione, nam Dæmones sciunt mysteria Fidei, quæ nos etiam cognoscimus naturaliter, ergo non est vlla ratio cur non possit etiam cognoscere illa intuitiue. Imò cum elicio actum Fidei, naturaliter cognosco illum meum actum, ergo naturaliter potest à nobis cognosci obiectum supernaturale.

Tertiò, Angelus cognoscit Deum esse omnipotentem, ergo cognoscit illum posse aliquid supra vires naturæ, ergo cognoscit possibilitatem rei supernaturalis. Deinde Angelus videt omne quod non implicat, esse possibile: videt autem non implicare vnionem Hypostaticam, neque gratiam, neque creationem quantitatis extra subiectum, ergo cognoscit illa esse possible.

Dico tertiò, nullum Angelum posse cognoscere intuitiue ac euidenter in se ipsis res supernaturales secundum substantiam existentes, imò nec eas immediate posse cognoscere ut possibile, ita docent communius omnes Theologi contra Scotum, sed ratio tamen qua id efficaciter probetur difficilis est: Et ferè omnes quæ afferri solent, probant similiter quod naturaliter cognosci non potest Deus cognitione creatâ, iis itaque omisiss.

Conclusio.

Ratio illa sit, quæ probabam olim esse impossibilem intellectum creatum, qui Deum cognoscat naturaliter; sic enim argumentari licet ex dictis eo loco, omnis cognitio intuitiua connaturalis, debet esse proportionata obiecto, & conuenire in modo essendi cum eo, id est habere modum essendi proportionatum modo essendi obiecti, quod cognoscit intuitiue, & naturaliter, sed cognitio naturalis non est in eodem gradu essendi, in quo est obiectum supernaturale, imò habet modum essendi omnino improportionatum, ergo nulla cognitio naturalis potest intuitiue attingere rem supernaturalem.

Probatio.

Maiores probata multipliciter olim est; tum à priori tum à posteriori, quia scilicet modus cognoscendi sequitur modum essendi, ergo implicat ut cognitio attingat obiectum intuitiue à quo superetur in modo essendi, deinde semper obiectum est in cognoscente, id est obicitur cognoscenti, per modum ipsius cognoscentis, nam hæc est sola ratio cur potentia materialis nihil possit cognoscere nisi materiale, cur intellectui coniuncto materiæ, non possit ens spirituale obici nisi per modum materialis: hinc fit ut Deum, & Angelos non possimus cogitare nisi humanâ vestitos specie quorum omnium alia nulla est ratio, nisi quia obiectum semper obicitur cognoscenti ad modum ipsius cognoscentis, ergo potentia cognoscens nunquam attingit naturaliter obiectum ut est in se, si ab eo superetur in modo essendi nullam habente proportionem cum ipsa. Quæ eadem ratione probatur quod non potest Angelus naturaliter cognoscere quidditatiue, ac euidenter mysteria gratiæ, etiâ ut possible, quia scilicet non habet modum essendi cum illis proportionatum.

Ad primam, Resp. cognitionem intuitiuam, & naturalem rei infinitæ ac increatæ, necessariò esse infinitam, ac increatam, idè enim solus Deus se ipsum naturaliter cognoscit intuitiue: intellectus instructus lumine gloriæ connaturaliter non videt, quia visionem non recipit connaturaliter, elicit verò connaturaliter, sed non sine vlla eleuatione:

Solutio
dubitatio-
num.

ego

ego autem loquor de cognitione quæ naturaliter sine ulla eleuatione tum elicitur, tum recipiatur: ad hanc enim contendo requiri vt potentia, & obiectum conueniant in modo essendi proportionato.

Ad confirmationem autem respondeo Angelum inferiorem posse cognoscere intuitiue Angelum superiorem, quia licet sit diuersi ordinis non est tamen diuersi ordinis omnino improporionati, cum vterque sit in ordine substantiæ spiritualis.

Ad secundam etiam Respon. posse abstractiue attingi obiecta supernaturalia cognitione naturali, quæ etiam cognoscitur ipse Deus, quia obiectum quod confusè solum: & abstractiue attingitur non necessariò conuenit in modo essendi cum potentia cognoscente, sicut conuenit cum potentia cognoscente intuitiue ac quidditatiue.

Similiter Angelus, eliciens actum Fidei cognoscit se illum elicere cognitione confusà & experimentaliter, non autem cognitione intuitiua, & quidditatiua: fateor autem ens supernaturale posse ab Angelo experimentaliter & confusè cognosci, quia non cognoscit quidditatem, & supernaturalitatem illius actus.

Ad tertiam Respon. Angelum cognoscere naturaliter Deum esse omnipotentem, atque adeò posse totum quod est possibile: sed non cognoscere naturaliter nisi per coniecturam quod sit possibile aliquid supra vires naturæ, ideò distinguo hanc consequentiam, ergo Angelus cognoscit Deum posse aliquid supra vires naturæ ex suppositione quod illud sit possibile, concedo, itavt cognoscat euidenter illud esse possibile, nego. Deinde quamuis Angelus videret non implicare vnionem hypostaticam, gratiam, & creationem quantitatis extra subiectum, posset tamen semper dubitare, vtrum aliquid hic sit quod ignoret, quamuis de vnione hypostatica, sit alia ratio vt dicetur tract. 7.

§. IV.

An & quomodo Angelus naturaliter Deum cognoscat.

Duo certa sunt in hac cognitione quam Angelus naturaliter habet de Deo: primum est, quod Deum non cognoscat immediatè ac intuitiue, cum nullus sit intellectus creabilis cui visio Dei, possit esse connaturalis. Secundum est, quod Deum cognoscat abstractiue ex creaturis, cum à nobis etiam inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, quod multò magis conuenit Angelis, qui effectus plures creatos comprehendunt, atque adeò cognoscunt dependentiam essentialem eorum à Deo; non ergo dubium est, quin Deum cognoscant in creaturis, tanquam in medio prius cognito, non non autem tanquam per speciem impressam, quæ ita ducit in cognitionem obiecti, vt ipsa non cognoscatur; Angelus autem non cognoscit Deum naturaliter nisi cognitis prius creaturis, ergo cognoscit Deum in illis tanquam in medio prius cognito.

Tota ergo difficultas superest primò, vtrum Angelus ita cognoscat Deum abstractiue, vt etiam cognoscat illum quidditatiue. Secundò, vtrum cognoscat naturaliter Deum etiam vt est trinus: quæ duo fusiùs in tractatu superiori disputata, breuiter tantum hic attingi debent.

Ratio enim dubitandi est primò, quia potest in Angelo dari cognitio quidditatiua quæ sit abstractiua, si possit dari cognitio quidditatiua alicuius Attributi diuini, vt est in se, quin cognoscatur actualis eius existentia: nam omnis cognitio intuitiua cognoscit rem vt præsentem, & existentem: sed potest dari cognitio quidditatiua diuini alicuius attributi sine cognitione existentia illius: nam si potest, vt dixi aliàs, cognosci quidditatiue Iustitia Dei,

Tom. I.

quin cognoscatur misericordia, quia scilicet cognitio intuitiua non necessariò est adæquata, certè nullà ratione probari potest quod attributum non possit cognosci sine actuali existentia, ergo Angelus potest quidditatiue cognoscere Deum licet non cognoscat eum nisi abstractiue.

Secundò, creatura pendet essentialiter à tribus diuinis Personis, ergo qui cognoscit comprehensiue creaturam cognoscit etiam Trinitatem. Neque dicas creaturas pendere à tribus Personis, prout sunt vnum in omnipotentia & volitione. Contra enim argumentor, Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio prout sunt vnum spiratione actiua, & volitione, Pater enim, & Filius sunt vnus Spirator, sicut tres personæ sunt vnus Creator: & tamen qui comprehenderet Spiritum Sanctum, cognosceret necessariò Patrem & Filium, ergo qui cognoscit creaturam comprehensiue, cognoscit etiam tres personas diuinas.

Tertiò, quando Angelus cognoscit Deum ex creaturis, vel cognoscit Deum & creaturas vnà & eadem cognitione, vel diuersa: non eadem, quia cognitio creaturæ, causat cognitionem Dei, ergo ab illa distinguitur: non diuersa, quia obiectum materiale, & obiectum formale cognoscuntur vno & eodè actu.

Dico quartò, Angelum naturaliter non posse cognoscere Deum quidditatiue, sed neque posse cognoscere illum vt est Trinus in personis: cognoscere autem illum euidenter, vt vnus est eodem actu quo cognoscit creaturas.

Prima pars, de impossibilitate cognitionis quidditatiue Dei, quæ non sit intuitiua probata est, cum egi de specie impressa Dei contra Scotum, Arriag, Martinon, qui putant illam posse repræsentare Deum quidditatiue, quin repræsentet intuitiue.

Ratio autem est clara, quia cognitio quidditatiua Dei est illa, quæ repræsentat distinctè propriam quidditatem Dei, sed nulla cognitio abstractiua potest repræsentare distinctè propriam quidditatem Dei, quod probatur, quia cognitio abstractiua Dei, dicitur illa, quæ Deus cognoscitur per speciem creaturæ, sed species creaturæ non potest distinctè repræsentare proprium conceptum Dei, quia repræsentat solum distinctè id, quod est commune Deo, & creaturis, cognitio autem quæ sit per conceptus communes, non potest esse cognitio distinctè proprii conceptus, ergo Angelus non potest cognoscere quidditatiue Deum, cum cognoscat illum abstractiue tantum. Alij probant impossibilitatem huius cognitionis ex eo quod omnis cognitio quæ attingit quidditatem Dei, debeat attingere illius existentiam, cum existentia sit de essentia Dei, omnis autem cognitio, quæ attingit existentiam Dei est intuitiua, ergo implicat cognitio quidditatiua, quæ sit abstractiua. Sed hoc argumentum est difficile, quia si possit attingi vnum attributum sine alio quidditatiue, quare? non poterit attingi etiam quin attingatur actualis existentia: Deinde alicuius rei existentia potest cognosci abstractiue, si fiat per species alias, verior ergo est ratio quam attuli.

Secunda pars, quod Deum vt Trinus est non cognoscat Angelus naturaliter, communis est in materia de Trinitate, quia si Angelus non cognoscit Deum nisi per creaturas non cognoscit eum nisi vt est cognoscibilis per creaturas, sed per creaturas non est cognoscibilis, vt est Trinus, quia creaturæ pendunt à tribus Personis, prout illæ sunt vnum in essentia, & omnipotentia, non autem prout distinguuntur personalitatibus, ergo Angelus non cognoscit naturaliter Deum, vt Trinus est.

Tertia pars, quod eodem actu possit Angelus cognoscere Deum, quo cognoscit creaturas probatur ex

Secunda dubitatio.

Tertia dubitatio.

Conclusio.

Cognitio quidditatiua.

Cognitio Trinitatis.

Eodem actu cognoscitur Deus & creatura.

Gg 2

dictis

dictis de cognitione creaturarum in Verbo. Nam obiectum materiale eodem actu cognoscitur, quo attingitur obiectum formale, ut patet ex actu Fidei, quo creditur vnico actu articulus, & reuelatio, sed quando Angelus Deum cognoscit in aliqua creatura, Deus est obiectum materiale cognitum, creatura verò est obiectum formale, ergo eodem actu cognoscuntur Deus, & creatura. Neque absurdum est quod eadem cognitio respectu diuersorum, sit abstractiua simul & intuitiua: vtrum autem ille sit discursus, postea dicetur. Neque video cur neget Suarez Angelum semper cognoscere Deum perfectius ex creaturis perfectioribus, cum infinitas Dei distinctius cognoscatur ex creaturis perfectioribus, effectus enim perfectior, perfectiorem causam requirit.

Solutio
primæ dubitationis.

Ad primam Resp. primò quidem, quod naturaliter nulla potest dari cognitio quidditatiua vnius attributi diuini, vel adæquata, vel inadæquata (ut ostendi olim) quia scilicet cognitio quidditatiua vnius attributi debet esse distinctus, & proprius conceptus illius quem conceptum naturaliter non habemus: quamuis ergo supernaturaliter esset possibilis cognitio, quæ attingeret quidditatiuè aliquod Attributum diuinum, quin attingeret illud intuitiue, non sequitur tamen quod illa cognitio esset possibilis naturaliter. Deinde nego cognitionem intuitiuam vocari ex eo quod attingat existentiam obiecti, quæ (ut dixi) cognosci potest abstractiue; dicitur enim intuitiua, quia fit per speciem propriam. Esto igitur cognosci possit quidditatiuè attributum, quin cognoscatur actualis eius existentia, nego tamen illud posse cognosci quidditatiuè, quin cognoscatur intuitiue, quia non potest cognosci quidditatiuè, quin cognoscatur per speciem propriam, ut ostendi.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Resp. creaturam essentialiter pendere à tribus Personis prout sunt vnum in essentia, non autem prout distinguuntur proprietatibus: est autem magnum discrimen inter Spir. Sanct. & creaturas, nam Spiritus Sanctus ita procedit à Patre & Filio, ut Paternitas & Filiatio constituent formaliter principium productiuum Spiritus Sancti, alioqui Spiratio passiuæ nō distinguatur realiter à Paternitate, & Filiatione, cum in diuinis non possit esse distinctio, nisi ubi est oppositio, non est autem oppositio nisi ubi est productio, si ergo Paternitas, & Filiatio non producant spirationem passiuam, certè ab ea non distinguuntur. Quomodo autem hinc non sequatur quod Pater & Filius sint duplex principium spiratum, alias dictum est: At verò creaturæ non exigunt formaliter tres personas; si enim per impossibile omnipotentia existeret in vnico supposito eodem modo produceret creaturas, nam omnipotentia per creaturas cognoscitur ut existens in aliquo supposito, nō autem existens in tribus suppositis. Ex quo etiam soluitur id quod solet obijci actiones esse suppositorum, atque adeo omnipotentiam per se pendere à tribus substantijs, quia non est maior ratio cur ab vna potius pendeat quàm ab alia. Resp. enim omnipotentiam pendere formaliter in operando ab aliqua substantia, hac nimirum vel illa non autem ab vna potius quàm alia: ideoque cognita operatione omnipotentia, non cognoscitur statim triplex substantia. Patet autem quid hic significet nomen (dependentia.)

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Resp. Angelum quando cognoscit Deum ex creaturis, vnico actu cognoscere vtrumque. Neque verò tunc cognitio creaturæ causat cognitionem Dei efficienter, sed tantum creatura cognita eodem actu est obiectum formale huius cognitionis, sicut quando reuelatio est causa credendi articulum reuelatum, & quando Deus est causa cognoscendi creaturas.

Explicatis obiectis quæ cognoscit Angelus, sequitur actus ipse intelligendi, seu modus, quo intelligit illa omnia. Vbi præter ea quæ Angelicæ intellectiōi, & humanæ communia sunt, video propria esse posse quinque quæ de Angelo quæri possint. Primum est, distinctio intellectiōis Angelicæ à substantia ipsius Angeli, siue vtrum Angelus sit sua intellectiō, vel etiam vtrum sit possibilis aliqua creatura quæ intelligat actu per suam substantiam. Secundò, intellectiōis huius Angelicæ perpetuitas, & necessitas: id est, vtrum intelligat semper omnia quæ potest cognoscere vel saltem aliqua, & per quid determinetur ad cognoscendum vnum potius quàm aliud. Tertio, intellectiōis huius simplicitas, siue, vtrum Angelus intelligendo componat & discurrat. Quarto, perfectiō extensiua, seu quàm multa cognoscat simul. Quintò, perfectiō intensiua, siue, vtrum Angelus comprehensiuè cognoscat omnia.

S. I.

Distinctio intellectiōis Angelicæ à substantia ipsius Angeli, siue vtrum Angelus sit sua intellectiō. S. Thom. q. 54. a. 1. & 2.

Id est, vtrum actualis intellectiō, & volitio etiam ipsius Angeli non sit aliquid distinctum ab ipsa substantia Angeli sed sit illa eadem entitas substantialis Angeli, prout terminata ad hoc vel illud obiectum, & connotans illud de nouo, sicut sæpius dictum est, quod intellectiō & volitio Dei non sunt aliquid superadditum & distinctum entitatiuè Deo, sed ipsa Deitas prout terminata ad obiecta, quæ cognoscit, vel amat.

Ratio autem dubitandi est, quia nulla ratio potest efficaciter ostendere quod implicet substantia creata quæ sit sua intellectiō, & volitio, ita ut nihil per intellectiōem, & volitionem superaddatur substantiæ nisi terminatio & connotatio obiecti; nō enim ostenditur hoc ita proprium esse Dei, ut nulli creaturæ conuenire possit: nam inde non sequeretur quod creatura illa esset sua actualis existentia, neque quod esset immutabilis, neque quod esset infinita; nam actiō est essentialiter actus, neque tamen essentialiter existit, immutabilitas huius substantiæ non sequitur, quia posset non existere, imò posset de nouo terminari ad obiecta quæ prius non connotabat. Denique nullo argumento demonstratur infinitam esse substantiam, quia est sua intellectiō, & per se ipsam terminatur ad obiecta, non autem per aliquid superadditum.

Dico primò, intellectiōem Angeli esse aliquid distinctum realiter à substantia ipsius Angeli, imò implicare ut aliqua substantia creabilis, sit sua intellectiō, aut volitio actualis, ita docet S. Thom. hic, & communiter Theologi omnes cum eo, contra Commentatorem 12. metaph. ad textum 95. cui ex parte consentit Durandus sentiens cognitionem Angeli de se ipso esse substantiam ipsius Angeli.

Primò ergo, ita tradunt expressè plurimi Patres, Dionys. lib. de celest. Hierar. cap. 11. distinguit in supremis substantijs substantiam, virtutem, & operationem, idem habet Ansel. l. de casu diaboli c. 8. ubi negat voluntatem Angeli, id est, eius volitionem actualē esse ipsius substantiam: & lib. de concordia gratiæ, ac libertatis distinguit voluntatem instrumentum, & voluntatem vsum: id est potentiam, & actum, S. Leo epist. 91. cap. 5. solius Dei proprium esse docet, ut sit sua

Difficultas

Conclusio
bimembriisAngeli ex
istentes.